

COLLEGII SECUNDI  
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO X.

continens

ANTIΘΕΣΙΝ ARTICULI IV.

DE QUÆSTIONE

An homo post justifi-

ficationem maneat peccator

& injustus,

*Proposita*

In inclutâ Electorali Academiâ V Vittebergensi,

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI, SS. Th.

D. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito:

R E S P O N D E N T E

M. EBERHARDO Siebeler Dresda-Misnico,

*Habebitur in Auditorio Collegii Veteris*

*Ad diem 27. Septembr.*

Coll. diss. A  
198, 1

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH,

ANNO M DC XXIX.

~~17. 20~~

514. A. 198(1)



CH. F. W. ...

In Augustano ...

...

...

...

...

...

...



...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...



Continuatio.

**A**Tque sic duas quæstiones priores; *An peccata in justificatione penitus tollantur?* Et, *an illa fiat per justitiam inbarentem hominis justificati propriam, an verò per imputatam alienam Christi*, vidimus disputationibus quinque proximè præcedentibus; Sequitur nunc in ordine Becaneo tertia, sic satis crudè formata: *An homo post justificationem maneat peccator & injustus.* De qua hac agemus disputatione.

THESES. I.

**D**iximus cum Dom. Doct. Meyfarto, quæstionem sic satis crudè formatam & propositam esse: Quandoquidem non ita nudè ac simpliciter à nobis quæritur, *an homo justificatus post justificationem sit adhuc peccator*, hoc est, *an adhuc labem peccati in se habeat*: Sed ita formenda est quæstio: *An homo post justificationem, hoc est, postquam in judicio Dei justus pronunciatus est, adhuc coram Deo, & in ejus justo judicio, injustus habeatur h. e. talis, quem lex divina accusare & damnare possit.* Si illò modò ferretur quæstio, affirmatur à nobis: Si hoc, negatur. Quandoquidem pro quo semel judici, delicta judicanti & vindicanti, est satisfactum, isque in satisfactione præstita quiescit, & delinquentem à reatu absolvit; illum sanè non amplius pro reo ac justitiæ debitore habere, neque denuò ab eo satisfactionem poscere potest, utur etiam qualitas delicti adhuc personam illam absolutam afficiat.



II. Sic est fœmella, quæ scortatione vîrginitatem perdidit, accusatur hujus criminis coram iudice, convincitur, & juxta leges ac statuta Reipublicæ illi dictatur pœna pecuniaria; ipsa solvendo non est; sed alius misericordiâ motus erga fœmellam, pro ipsa mulctam definitam in iudicio solvit, sicq; & legibus & sententiæ iudicis satisfacit: quô præstitô, absolvitur fœmella à reatu & debito, quô legibus obstructa & obligata erat. Si quis jam quæreret, an fœmella illa post absolutionem iudicis maneat adhuc deflorata, an verò vîrginitatem recuperaverit? Is sanè stultitiam suam proderet, & cachinnationem omnibus nō sine caussa moveret. Manet namque illa post absolutionem, ut antea, contaminata, sed non manet obligata legibus & iudici, siquidem ab illo justificata est cum hac admonitione, ut imposterum ab ejusmodi delicto abstineat, castè & honestè vivat, ne quid deterius in ipsam statuatur: Atque sic etiam in foro & statu Politico absurdum non est, aliquem esse à reatu absolutum, ut nihilominus labem reatus in se retineat.

III. Sic nullô modô absurdum censendum est, credentem à Deo pronunciari justum, licet labem peccati in se contineat. Justus enim est in conspectu Dei, quia propter Christum, qui pro ipsius delictis satisfecit, & sufficiens λύτρον solvit, remissa habet peccata, adeo, ut nihil inveniat lex divina amplius, quod in ipso accusare possit. Etsi autem actus peccati in justificatione non tollatur; subsequitur tamen novitas vitæ, quâ in hoc seculo actus ille imminuitur, & tandem totalis παλιγγενεσία, quâ in resurrectione toti immutabimur: Deleto enim & funditus sublato omni peccato, sanctis & glorificatis corporibus resurgemus ad vitam æternam, *Matth. 19. v. 28.*

IV. Est ergò ejusmodi justificatus in se & manet etiam post justificationem labe peccati affectus; attamen non dicendus est propterea injustus, neque in conspectu Dei, neq; in conspectu hominum. Non DEI, quia ibi est à peccato absolutus; non Hominis: Quia non homini, sed Deo peccavit; si ergò à DEO justus, non utiq; ab hominibus injustus vel censendus vel habendus est, licet in se adhuc radicem peccati habeat.

5. Aug.



V. Audiamus nunc ipsum Becanum, quomodo hujus  
quæstionis tractationem aggrediatur: paragrapho primò sen-  
tentiam nostram eruit ac monstrat his verbis: *Adversarii docent,*  
*hominem in justificatione non fieri justum in seipso, sed manere pec-*  
*catores, injustum, immundum; & solum censei justum in Christo. Ita*  
*Calvinus lib. 3. Inst. cap. 11. §. 3. Vbi ait: Ut pro justis in Christo censea-*  
*mur, qui in nobis non sumus. Et §. 4. Nec sanè, quod alibi tradit, sta-*  
*ret, obedientiâ Christi nos constitui justos, nisi in ipso, & extra nos justis repu-*  
*tamur coram Deo. Et §. 11. Hoc modò justus est, non reipsâ, sed imputatio-*  
*ne. Et §. 23. Hinc & illud conficitur, solâ intercessione justitiæ Christi nos*  
*obtinere, ut coram Deo justificemur. Quod perinde valet, ac si dicere-*  
*tur, hominem non in seipso justum esse, sed quia Christi justitia, imputa-*  
*tione cum illo communicatur. Et in Antidoto Concil. Trident. sess. 6. ad*  
*cap. 5. Confugiamus ad solum Christum, ut in ipso justis censeamur, quod*  
*in nobis non sumus. Et alibi plura.*

VI. Quæ circa hanc quæstionem nostra sit sententia, ex mo-  
dò indicatis & explicatis satis liquet. Notandum autem &  
semper in hoc negotio in conspectu habendi sunt limites hujus  
quæstionis: nempe agi hîc de justificatis coram Deo: proinde-  
que quando quæritur, *an homo in justificatione fiat justus in seipso:*  
Illud potest habere duplicem sensum: 1. An homo in justifica-  
tione fiat revera justus; ut tantum quæstio sit de veritate: De-  
indè, an fiat justus inhærente propriâ qualitate, ut sit quæstio  
non tam de veritate rei, quàm de modo.

VII. Ad priorem ergo quæstionis interpretationem re-  
spondemus affirmativè: *Quod homo in justificatione revera fiat justus:*  
Ad posteriorem contra negativè; *licet revera fiat justus, non tamen*  
*inherente, sed imputatâ justitiâ Christi, quam etiam in se recipit,*  
*illâque afficitur per imputationem. Comitatur quidem & se-*  
*quitur hanc justificationem novus qualitarum & virtutum ha-*  
*bitus à Spiritu Sancto productus, & quasi homini infusus: Ve-*  
*rùm, quia virtutes illæ multis modis imperfectæ sunt, hominẽ*  
*peccatorem coram Deo justificare non possunt; quippe qui ab-*  
*solutè perfectam requirit justitiam, quam, quia solus Christus*  
*ut acquirere nobis potuit ac voluit, sic acquisivit; meritò ad*

A 3

ipsum.



ipsum solum confugimus, ut in ipso iusti ceaseamus, quod in nobis non sumus.

II X. Progreditur nunc Jesuita ad refutationem sententiae nostrae, paragrapho secundo: Hic error, inquit, refellitur primo ex dictis: Nam si Christi pretioso sanguine verè lavamur & sanamur à peccatis nostris, item si iustitia & sanctitas ex Christi merito per Spiritum S. nobis infunditur: Certè non manemus peccatores & iniusti: Sed efficimur mundi, iusti, innocentes, in quibus nihil damnationis reliquum est, & hoc aperte testatur scriptura, Psalm. 50. v. 9. Asperges me hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor. Sanè, qui mundatur & dealbatur, non manet immundus & contaminatus. Neque illud effugium hic valet, hominem mundari & dealbari in Christo, non in seipso. Non enim dixit David: Asperges Christum, & mundabor in Christo, lavabis Christum, & in Christo dealbabor. Sed ita potius: Asperges me, & in me mundabor, lavabis me, & in me dealbabor. Hoc confirmant verba sequentia: Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis. — Nota has particulas, in me, & in visceribus meis. Conspirat Apostolus 1. Cor. 6. v. 11. Et haec quidem fuistis, sed abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis. Quasi dicat; fuistis in vobis ipsis peccatores, nunc estis abluti, Sancti, iusti: utiq; in vobis ipsis. Unde & illud Ephes. 1. v. 4. Elegit nos, ut essemus Sancti & immaculati in conspectu eius.

IX. Primum ergo sic contra nos argumentatur Becanus: Qui Christi pretioso sanguine verè lavantur & sanantur à peccatis suis, quibusq; iustitia & sanctitas Christi merito per Spiritum Sanctum infunditur; illi certè non manent peccatores & iniusti, sed efficiuntur mundi, iusti, innocentes, in quibus nihil damnationis reliquum est: sed nos, qui iustificamur, verè pretioso sanguine Christi lavamur, & nobis iustitia & sanctitas infunditur &c. Ergo nos, qui iustificamur non manemus peccatores & iniusti, sed efficimur mundi, iusti &c.

X. Respondemus 1. ad Majorem, committi in illa fallaciam compositionis: Quippe in qua perperam conjunguntur sanguis Christi, & nobis infusa iustitia & sanctitas. Nos sanguine Christi lavari, sanari, & ita mundari, ut nihil damnationis

tionis



tionis in nobis maneat reliquum, facile concedimus. Verum quò hìc effectus in nobis producat, necessum esse, ut cum sanguine Christi ejusque merito nobis imputato jungatur sanctitas & justitia nobis inhærens; id, ut hætenus constanter negavimus, sic adhuc in negativa illa persistimus, contra affirmantes, quod, ut solò sanguine Christi emundamur à peccatis nostris, 1. Ioh. 1. v. 7. Sic etiam solò ejus meritò, verà fide nobis applicatò, justì in conspectu Dei constituamur, & ad justificationem illam nihil requiratur amplius: cum subsequens innovatio tantum ejus consequens & effectus sit.

XI. Ad Minorem igitur 2. respondemus: Nobis quidem infundi justitiam & sanctitatem, sed non ut illis justificemur, sed ut meritò & justitià Christi imputatà justificati, innovemur & sanctificemur: Quæ innovatio sive sanctificatio & justificatio accuratè in hoc Articulo distinguendæ, & nequaquam cum Pontificiis confundendæ sunt.

XII. Ita ergo formandus est Syllogismus: Qui pretiosò sanguine Christi verè lavantur & sanantur à peccatis; Illi cerè non manent peccatores & injusti, sed efficiuntur mundi, justì, innocentes, in quibus nihil damnationis reliquum est: Atqui nos, qui verà fide in Christum credimus, nobisq; sanguinis Christi pretiosi meritum applicamus, pretiosò illò sanguine verè lavamur & sanamur à peccatis: Ergò nos, qui verà fide in Christum credimus, & nobis sanguinis Christi pretiosi meritum applicamus, cerè non manemus peccatores & injusti, sed efficiemur mundi, justì, innocentes, in quibus nihil damnationis reliquum est.

XIII. Sic formatum argumentum, & juxta mentem & sensum scripturæ intellectum, concedere totum possumus. Nā quando sic justificati sumus per veram justitiam Christi imputatam, non sumus amplius peccatores, à quibus debitum exigat justitia Christi neq; etiam sumus injusti, sed justissimi, imò longè justiores, ac si proprià inhærente justitià vel Angelicà, justì essemus. Quandoquidè Christi justitia nobis acquisita, & verà fide imputata, suà sanctitate, bonitate, excellètià ac pretiò, infinitis modis



modis vincit omne, quod pretiosum censeretur extra Deum  
in cœlo & in terra : mundi etiam sumus, tùm quia reſta habemus  
peccata, tùm quia immundities in nobis relicta, cooperante  
Spiritu Sancto, ac novitatem vitæ, novamque obedientiam  
efficiente & producente, *Pſalm. 51. v. 10.* pedetentim abſumitur,  
donec tandem, ut diximus, in totali *παλιγενεσία* tota abſu-  
matur & tollatur. Sic innocentes efficiamur, nempe innocen-  
tiſſimâ Christi innocentiam affecti & imbuti, adeo, ut nihil da-  
mnationis in nobis ſit reliquum, hoc eſt, nihil ſit in nobis, pro-  
pter quod damnationi adjudicari, & ſic damnari queamus:  
Cum, licet peccatum in nobis ſit, remiſſum tamen ſit, ejuſque  
reatus nos damnabiles faciens, ablatus, & dominium ejuſ ſub-  
verſum & planè deſtructum.

XIV. Atque hoc eſt, quod ſcriptura apertè teſtatur. Nam  
*Pſalm. 51. v. 7.* Non agitur de reali, ſed ſpirituali aſperſione &  
ablutione. Ut enim in Novo Teſtamento per Sacramenta Ba-  
ptiſmi & Cœnæ Domini, ſi verâ fide ad illa accedamus, meri-  
tum Christi nobis applicatur; ſic quoque in Veteri Teſtamen-  
to per Sacrificia, aliasq; Ceremonias Leviticæ Christi *λύτρον*  
adumbratum fuit & applicatum. Harum duas in Dicto hoc  
meminit David. Prima eſt, *aſperſio*, quæ faſciculô ſive mani-  
pulô hyſopi fiebat i. apud agnum paſchalem, in cuius ſangui-  
nem hyſopus intingebatur, & ſuperius limen illinebatur, *Exod.*  
*12.* Deinde cum leproſus, à lepra mundatus, mundus declaran-  
dus eſſet, hyſopus quoque in mactati paſſeris ſanguinem intin-  
gebatur. *Levit. 14.* Tandem, cum populus univerſus à peccatis  
abſolveretur, aqua luſtralis conficiebatur de cineribus vaccæ  
rufæ, in quam etiam hyſopô intinctâ populus conſpergebatur.  
*Num. 19.* Omnibus illis tribus intinctionibus & aſperſionibus  
nihil realiter fuit mundatum vel ablutum: ſed iis duntaxat fuit  
ſignificata effuſio ſanguinis Christi, quæ futura erat in Novo  
Teſtamento, quam, qui verâ fide, & ſic ſpiritualiter ſibi aſper-  
git, ſis coram Deo à peccatis abluatur, uti partim alibi, partim  
*Hebr. 9. & 10.* Perſpicuè oſtenditur. Quocirca nulla inde realis  
juſtitie infuſio demonſtrari poteſt.

15. Altera



XV. Altera ceremonia, ejus in hoc dicto mentio injicitur, est crebra illa & varia lotio, quâ utebantur Judæi, quoties a tactu cadaveris, aut similis alicujus rei immundæ juxta legem erant contaminari, *Levit. 13.14.15.16.17.22. &c.* Quia etiam nulla realis fiebat absterfio attractæ immundiciei Legalis; sed tantum typus quoque erat internæ peccati immundiciei meritô & sanguine Christi abluendæ. Jam quæritur quomodo fiat illa interna ablutio; certè non per infusum novum habitum justitiæ; sed omninò per meritum sanguinis Christi verâ fide applicatum. Nam *Christus est panis ille vite, qui venit ad ipsum, non esuriet, & qui CREDIT in eum, non sitiet unquam, Ioh. 6. v. 35.*

XVI. Quomodo etiam mundatio hæc & lotio fiat, explicat David in eodem Psalmo 51. v. 9. *Absconde faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.* En hic expressè indicatur quomodo Deus deleat iniquitates nostras, non per realè ablationè, ut nullum amplius peccatû in homine remaneat, sed per absconsionem faciei suæ à peccatis nostris. Ubi metaphora & similitudo sumitur à parentum consuetudine, qui infantum delicta aversò & obvolutò vultu solent connivere, quò verò non tollunt errata, sed dissimulant, condonant ac remittunt.

XVII. Dehinc progreditur David ad renovationem & sanctificationem: *Cor mundum, inquit, crea in me Deus, & Spiritum firmum innova in visceribus meis. Ne projicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi letitiam salutaris tui, & Spiritu spontaneò sustenta me.* Ut connexum igitur & immediatum consequens renovationem hominis conjungit David cum justificatione, sed non (quod Pontificii faciunt) confundit, ut constet, nos solâ gratiâ & misericordiâ DEI propter meritum Christi Jesu solâ imputatione per fidem coram DEO justos pronuncari, & non propter nostram novitatem: cum autem conjuncta sint hæc beneficia, docere his statim additis verbis voluit, eum, qui coram DEO justificatur, donari Spiritu Sanctò, qui subinde majus lumen fidei in corde accendat, novam inspiret vitam, novas vires indat, & novos creët motus, ut sic renatus incipiat verè diligere Deum & proximum.

B

18. Non



**XIIX.** Non itaq; hoc sensu habemus effugium, quò dicimus, mundationem & dealbationem, hoc est, justificationem nostram in Christo. Quandoquidem, si effugium est, utique ipsius Spiritus Sancti effugium est, qui per Paulum dicit, *nos fieri iustitia DEI IN IPSO*, 2. Cor. 5. v. ult. Ad quæ verba Ambrosius: *Vt nos, inquit, essemus iustitia DEI in ipso, qui peccatum nesciebat, dicente Esaiâ: Qui peccatum non fecit, nec datus inventus est in ore ejus, quasi peccator occisus est, ut peccatores justificarentur apud DEVM IN CHRISTO.* Et Chrylostomus in hunc locum ait: *Non dixit peccatorẽ sed peccatũ: non eum, qui non peccavit solum, sed & eum, qui nescivit peccatum: Vt nos fiamus, non dixit, iusti, sed iustitia, & iustitia DEI. DEI enim est ista, quando non ex operibus (quando necessarium est, etiam maculam nullam inveniri) sed à gratia justificatio fit.* Nequaquam ergò, qui iustitiã Dei mundatur & dealbatur, manebit immundus & contaminatus, nempe, ut à lege arguatur, licet aliàs suas in se habeat imbecillitates, & peccata, sed tẽcta.

**XIX.** Et licet: ex quo totus error Becani fluit) Christi iustitia, quã justificamur, sit respectu nostri aliena, atque propterea iustitia in Christo dicamur: Non tamen simpliciter aliena est, sed tantum ratione acquisitionis: quippe qui illam non ipsi acquisivimus, sed Christus: At verò ratione intentionis Christi, & applicationis nostræ, non aliena, sed nostra est. Ratione intentionis quidem Christi. Nam licet eam Christus acquisivit, non tamen sibi (quippe qui eã non indigebat) sed nobis eam acquisivit, ut nos ejus beneficiõ essemus iusti. Ratione imputationis nostræ: per fidem enim nostra fit: quippe quã illa tanquam manu apprehenditur & nobis applicatur, imputatur, & cum illa omnia cœtera beneficia sanctificationis, innovationis & vitæ æternæ donantur, Rom. 8. v. 32.

**XX.** Mirum! dicit Becanus, si mundamur & dealbamur, hoc est, justificamur in Christo, tum necessum esset, dixisse Davidem: *Asperges Christum, mundabor in Christo, lavabis Christum, & in Christo dealbabor: Quia verò non ita loquitur David, sed potius, aspergas me, & in me mundabor, lavabis me, & in me dealbabor: Ergo (vult concludere Becanus) merum hoc effugium est, hominem mundari & dealbari, hoc est, justificari in Christo, & non in seipso.*



XXI. Quæ per DEUM immortalem hæc est necessitas? imò absurdissima phantasia & stulticia est. Quandoquidem Psalmista usurpans typum pro antitypo, per hyssopum, sanguine aut aquâ lustrali infectam, nihil aliud intelligit, quàm sanguinem Christi sic olim adumbratum: Ut etiam per Leviticam & externam sive Ceremonialem lotionem nihil aliud indigitat, quàm ablutionem peccati, quæ fit sanguine Christi, quippe qua etiam illa olim adumbrabatur. Si ergo phantasia Becani aliquam probabilitatem habere debeat, tum sensus Davidis talis conficiendus est: *Aspergas sanguinem Christi, mundabor in Christo: Lavabis sanguinem Christi, & in sanguine Christi dealabor.* Nequaquam verò ejusmodi absurda vel locutiones, vel sententia sequuntur ex nostra interpretatione. Verba Psalmistæ sunt: *Aspergas me hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealabor.* Mutentur hic typica verba Veteris Testamenti, *hyssopus & sanguis, agni paschalis & passionis, vel aquæ lustralis*, in verba Antitypum significantia, ut sunt, *sanguis Christi, & nostra inde sententia, & quoad verba convenientissima, & quoad sensum verissima, & certissima conficietur, nempe hæc ipsa: Aspergas me sanguine Christi, sive Messia, & mundabor; lavabis me sanguine Christi, & super nivem dealabor.*

XXII. Hæc, inquam, & nulla alia, juxta interpretationem nostram inde exurget sententia: Non quam fingit Becanus: *Asperges me, & in me mundabor, lavabis me, & in me dealabor?* Quandoquidem omittitur in illâ expositio typi. Hæc verò quando additur, quâ quæso consequentiâ illud ME inferetur, ut dicatur: *Et in ME mundabor, & in ME dealabor?* Nam præter expositionem typi per Antitypum, reddatur tota oratio metaphorica sensu proprio & videbitur, an illud ME, rectè & necessitate veri sensus sit insertum. Sensus autem proprius hic est: *Justifica me, sive fac me justum per meritum sanguinis Messia, & justus ero.*

XXIII. Si ergo illud ME debeat inferi, ac dici, & *ero in me justus*, ita, ut illud IN ME oponatur *imputationi*; fiet id vi & consequentiâ hujus Syllogismi: Quemcunque justificat, sive justum



stum facit Deus per meritum sanguinis Messiae; ille fit justus in se, hoc est, per inhaerentem justitiam, & non per alienum meritum, sive justitiam Christi imputatam: At Deus justificat, sive justum facit Davidem per sanguinem Messiae: Ergo David fit justus in se, hoc est, per inhaerentem justitiam, & non per alienum meritum, sive justitiam Christi imputatam.

XXIV. Quis in hoc Syllogismo Becano concederet Majorem? Quod etiam modo ostendet Jesuita, majorem illam contineri in dicto Davidis? Sanè id in æternum non præstabit. Imò potius ex verbis illis Psalmi hæc conficitur major: *Quemcumque justificat, sive justum facit Deus per meritum sanguinis Messiae; ille non fit justus in se, sed in Christo per imputationem, & non per inhaerentem justitiam*: Et hujus Majoris virtute illud ME ex verbis Becani ejicitur, & in hanc mutatur: *Asperges me sanguine Messiae, h. e. justifica me per meritum sanguinis Christi: Et in Christo justus ero: Lavabis me, hoc est, à peccatis me absolve, & in idem à Christo dealabor, id est, ab omni reatu peccati ero liber.* Hæc sanè diserta sunt, quæ, qui non videt, nihil videt, & in æternum cæcutiat.

XXV. In subsequenti sententiâ Psalmi: *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis*: notentur verba *in me & in visceribus meis*. Sed quid juvat opinionem Papisticam? Demonstravimus enim, verba illa non loqui de justificatione, sed sanctificatione, quæ revera fit in nobis per infusionem novarum virium, virtutum, charitatis, justitiæ, sanctitatis &c. sed, ut monuimus, conjungi quidem, possunt justificatio & renovatio, ut semper conjunctæ sunt, & se mutuò sequuntur in homine justificato, sed nequaquam confundi.

XXVI. In allegato dicto 1. Cor. 6. v. 11. Committitur fallacia divisionis: Non enim ibi dicitur, *justificati estis*, tantum sine modo, vel etiam, ut intelligatur hic modus, *in vobismetipsis*: Sed additur: *ἐν τῷ ἰνόματι τοῦ κυρίου Ἰησοῦ*: Si ergo in Christo, sive in nomine, hoc est, in virtute Christi: Ergo non in nobis

bis



bis, vel in virtute nostrâ inharente. De hoc dicto plura videantur supra *disp. 3. th. 55.*

**XXVII.** Dictum ad Ephes. 4. v. 4. *Elegit nos, ut essemus Sancti & irreprehensibiles coram ipso*: Loquitur illud non de justificatione, sed de Renovatione, quæ & ipsa sic justificationis, ut Electionis finis est. Vult enim dicere Paulus, quod Deus nos elegerit, non, ut impofterum liceat gratiâ illâ abuti ad faciendum, quod libet; Sed potius, ut vitâ Sanctâ & irreprehensibili gratos nos Deo exhibeamus: Et quidem sanctitatem illam veram & integritatem in hac vitâ aduti Spiritu Sancto inchoemus, post hanc verò in æternâ vitâ perficiamus: Uti etiam Apostolus non ad iuchoatam duntaxat in hoc seculo, sed ad beneficium in alterâ vitâ plenissimè consummandum respexit. Quare & hoc dicto pro sua sententiâ nihil efficit Jesuita.

**XXVIII.** Pergit Becanus §. 3. *Res non indiget longiore refutatione.* Solùm miror Calvinum non advertisse, ex hac suâ doctrinâ aperte sequi, Calvinistas similes esse sepulchris de albatu, quæ intus plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitiâ: Similes virginibus fatuis, quæ non habent oleum iustitiæ in lampadibus suis, existimantes alienum oleum sibi sufficere, similes hœdis fœtentibus, qui ovium numero à Pastore censentur. Similes lupis, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt fera rapaces. Quid enim aliud est homo justificatus apud Calvinistas? Interius peccatus ac flagitiosus plenus est: Oleum iustitiæ ac sanctitatis in corde non habet; hinc instar, fœtorem flagitiorum exhalat, contumeliosus & convitiis, non aliter quàm lupus, mordacitatem ostendit. Et tamen, quia innocens agni vestimentis se texit, inter agnos, si diis placet, reputari vult: Quia stultè præsumit alienum oleum sibi profuturum, de acquirendo proprio sollicitus non est: quia exteriorem pariter vestem candidâ obduxit, internam spurcitiâ latere posse existimat.

**XXIX.** Sic vult argumentari Becanus: Qui docent, homines justificari iustitiâ Christi per fidem imputatâ, illi coguntur concedere, eiusmodi iustificatos esse similes i. sepulchris



dealbatis, quæ intus plena sunt ossibus mortuorum & omni  
spurcitiâ: 2. Virginibus fatuis, quæ non habent oleum justitiæ  
in lampadibus suis; existimantes, alienum oleum sibi sufficere:  
3. hædis fœtentibus, qui ovium numero à pastoribus cen-  
sentur. 4. Lupis, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus  
autem sunt verè rapaces: At Lutherani docent, homines justi-  
ficari imputatâ per fidem justitiâ Christi: Ergo coguntur Lu-  
therani vi hujus suæ doctrinæ statuere & concedere, ejusmodi  
justificatos esse similes sepulchris dealbatis, quæ intus plena  
sunt ossibus mortuorum &c.

XXX. Sed quomodo probatur Major? Putat primùm  
eam manifestam esse: Cum nihil aliud, quàm hoc esse justifi-  
carum apud nostræ sententiæ defensores, blaterat. Deinde  
addit r. nos statuere, justificatos esse peccatis ac flagitiis plenos.  
Id verò nunquam statuimus, nunquam docuimus. Quomo-  
do enim ille esse potest flagitiis plenus, qui præditus verâ fide  
justificante, Spiritum sanctum in se habet, cujus efficaciam do-  
minium peccati supprimatur, omnis generis spiritualia bona  
ac dona infundantur, augeantur, multiplicentur, obfignentur.  
In quo rursus hæc sunt, quomodo ille oleo sanctitatis destitue-  
tur?

XXXI. In parabolâ enim istâ *Matth. 25.* per lampadem o-  
leo instructam & lucentem significatur cor salvificâ imbutum  
ac munitum fide, quod meditatione verbi divini, instar olei,  
nutritur ac fovetur. Hoc autem quando hic observamus, si-  
mul attendere debemus, quod addatur, cum moram faceret  
sponsus, accidisse, ut simul omnes dormitarent, tam pruden-  
tes, quàm fatuæ virgines, sed cum hoc discrimine, quod illæ  
lampadibus oleo repletis instructæ fuerint, hæ verò easdem  
vacuas habuerint. Nam hoc ipsò quoque notatur piorum  
somnia, quod non semper eâ, quâ par erat, alacritate vi-  
gilent, sed interdum languescant, ita tamen, ut semper fidem  
in corde retineant, nec flammulam illam peccatis contra con-  
scientiam crassioribus extinguant: Ut ita intelligatur, vel i-  
psos fideles hac ipsâ parabolâ argui, quod non prorsus sint sine  
labe



labe : Et nihilominus à Christo prudentes dicuntur, quia peccato obicem ponunt, & masculè se opponunt, ne dominium arripiat, sed se movere & vivere incipiens statim in herbâ suppressatur, & in pravis suis conatibus suffocetur.

XXXII. Porro similia de hœdis fœtentibus & lupis rapacibus meræ calumniæ sunt, quas omnes in Pontificios, & cum primis Jesuitas, & cœteros Monachos rerorquere, magni laboris haud esset : quippe, qui cultu corporis, habitu, voce, totâ deniq; externâ specie mentiuntur sanctimoniam, simplicitatem, probitatem : In animo autem sunt virulenti, avari, rapaces, crudeles, innocentium hominum, orthodoxorumque, & sic verè Christianorum sanguinem sitientes : proinde non veniunt, ut pietatis negotium agant, & ovibus salubri Consiliô præsent, sed ut rem suam conficiant, ditescant, ventrem compleant, dispergant ac lacerent gregem : Ut illud quotidiana praxis, ut semper, sic hodieq; satis testatur.

XXXIII. Quis unquam audivit vel expertus est, sive tempore Apostolorum, sive post illos in primitivâ, sive omninò in totâ orthodoxâ Ecclesiâ ejusmodi modum convertendi homines, quò hodie Pontificii utuntur, cum ad Religionem homines non ducant, sed cogant, idq; non linguâ, sed pugnâ, non verbò, sed ferrò, non spiritu, sed igne, non persuasionibus, sed persecutionibus, non argumentis, sed armamentis, non atramentò, sed ferramentis, crudelibusq; tormentis, & furialibus carnificinis. Qui sanè mores non sunt filiorum Spiritus CHRISTI. Non ergò sufficit jactare internam & inhærentem justitiam & sanctitatem, eaque se justos & Sanctos plenò ore prædicare. Justitiam sequuntur opera justa, sanctitatem & pietatem, Sanctæ & piæ vitæ actiones & charitatis exercitia. Attraxerunt aves hæ in terris pontificiorum, Jesuitarum, Monachorum & similibus impostorum.

XXXIV. Uti & hoc magnæ impietatis signum & effectus est, quod dicit Becanus, *nos stultè præsumere, alienum oleum nobis profuturum, de acquirendo proprio sollicitos non esse.* Magnum sanè impietatis & blasphemi cordis argumentum. Si enim hæc est  
stultitia,



Stultitia, quærerere verum & spirituale illud oleum, nempe sanguinem Christi, ut eò sanemur, & ab omni peccatò mundemur; tota utique Sacra Scriptura stultitia, & Spiritus Sanctus omnium (ò ignosce Deus mi) stultissimus est, qui nihil aliud vult, hoc jubet, clamat, inculcat seriò, ut totam nostram spem in Christo ejusque sanguine, & meritò collocemus, ut, sitientes, & argento carentes, ad has aquas veniamus, emamus absque argentò, & absque ullo pretio, vinum & lac. *Esa. 55. v. 1.*

XXXV. Imò ipse Christus testatur, *Johan. 4. v. 10.* se, dare aquam vivam, ex quâ, si bibemus, non sitiemus in æternum. Et *Joh. 6.* commendat nobis carnem & sanguinem suum spiritualiter comedendum (id est, in ipsum verâ fide credendum *vers. 29.*) ejusmodi cibum, qui non perit, sed manet in æternum, *v. 27.* panem illum verè cœlestem, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo, *v. 32.* qui est ipse Christus, ad quem, si veniamus, nequaquam esuriemus, & in quem si credamus, non sitiemus unquam, *v. 35.* cum hæc sit voluntas patris, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam &c. Ubi nihil de internâ nostrâ justitiâ, sed de solâ fide in Christum agitur, & illi soli tribuitur, quod nimirum Christi caro fide comesta (non nostra inhærens justitia) sit panis ille vivificus, qui nos vivificet ad vitam æternam, *v. 51.* proindeque qui non ederit carnem hanc Filii hominis, & biberit ejus sanguinem, non habiturus sit vitam in seipso, *v. 53.* sed qui edit carnem & bibit sanguinem Christi, is solus maneat in Christo, & Christus in ipso, *vers. 56.* solusque vivat per Christum: Quemadmodum, Christus vivit per patrem, *v. 57.*

XXXVI. Quare, si stultitia est, credere, alienum oleum, nempe Christi carnem & sanguinem, nobis profuturum, illum nos vivificare, & per ipsum habere nos vitam in nobismetipsis, nos manere in Christo, & ipsum in nobis: si, inquam, hæc stultitia est, ut mentitur blasphemè Becanus, utique stultissima est hæc Christi doctrina, & stulti sunt omnes, qui Christo credunt. Sed absit hoc. Sit maneatq; stultus ac stolidus, (si aliter fieri nequit) in æternum hic Jesuita. Christus est λόγος & sapientia Patris,



Patris, & nobis factus est sapientia, qui arcanum hoc Evange-  
lium ex sinu æterni Patris revelavit. Quod, licet stultum vi-  
deatur una cum mundo Jesuitis, ipsisq; Christus cum suo meri-  
to æque ut Judæis sit offendiculum, & cum Græcis stultitia  
1. Cor. 1. v. 23. nos tamen id non offendit, semper in memoria &  
conspectu habentes illud Pauli: *Postquam in sapientia Dei non co-  
gnovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultam prædicatio-  
nem servare credentes ibidem, v. 21.*

XXXVII. Porro calumnia est & Jesuiticum mendaciū,  
nos non sollicitos esse de proprio oleo. Quando enim operantur non  
sibum, qui perit, (quod Papistæ faciunt, suam spem in propria  
justitiam collocantes) sed qui permanet in æternum, quem Filius ho-  
mini dat nobis, Joh. 6. v. 27. Quid aliud facimus, quàm solliciti su-  
mus de oleo proprio, quò instructi obviam eamus sponso no-  
stro. Hoc verò operari nihil aliud est, quàm credere in eum, qui à  
Deo missus est, hoc est, in Christum, ut ipse Salvator se explicat  
ibidem, v. 29. Nequaquam igitur est operari propriam & inherenssem  
justitiam, ut explicat modò AntiChristiano Becanus & socii e-  
jus. Christus enim per fidem applicatus non est alienus, & ex-  
tra nos, sed est noster & in nobis, nempe, quem pro nobis tra-  
didit Pater: Quis jam fieri posset, ut non etiam cum eodem o-  
mnia nobis donet? Rom. 8. v. 32.

XXXVIII. Christus ergò per fidem nobis applicatus no-  
ster est, in nobis est, ejus justitia per fidem applicata, ejus meri-  
tum, tota ejus obedientia nostra, & in nobis est. Nam, ut au-  
divimus, caro Christi est verus cibus, & sanguis verus potus  
vivificus, sine argento à nobis emptus, nempe gratis, & sine pre-  
tio solâ fide nobis applicatus, & spiritualiter à nobis comestus,  
non amplius alienus à nobis & extra nos esse potest, sed no-  
ster cibus est, qui spiritualiter in nostrum succum & sanguinē  
mutatur, vel potius nos per illum mutamur, & spirituales effi-  
cimur. Quia enim cibus ille vita ipsa est, fit nostra vita spiri-  
tualis, spirituales nos efficiens, vivificansque & conservans in  
vitam æternam, cum vi spiritualis hujus cibi in morte manere  
non possimus, sed habeamus vitam æternam, Iohan. 6. vers. 53. 54.  
Siqui-



Siquidem manemus in Christo, *ibidem*, 56. & propter ipsum vivemus, *ibidem*, v. 57. & quidem in æternum v. 58. quia hanc vitam revera in nobismetipsis, & non extra nos (ut nugatur Jesuita) v. 53. habemus.

XXXIX. Inunc Jesuita, & dic, oleum, quod operamur Lutherani, non nostrum esse; calumniare, Christi meritum & justitiam non fieri nostram; nugare, nos per Christum, tanquam per nostram spiritualem vitam, vivificatos, non vivere. Blasphemus es, blasphemus manebis, & in æternum blasphemus peribis, si ab ejusmodi convitiis, injuriis ac calumniis, in ipsum Christum, & ejus sanctissimum meritum redundantibus, non abstineas.

XL. Pergit Becanus §. 4. *Illud*, inquiens, *magis miror, homines, qui suo judiciò spurci & inquinati sunt, etiam ex scripturis patrocinium pro se querere.* Nimirum citant illud Ephes. 1. v. 6. *Gratificavit nos in dilecto filio suo.* Vnde colligunt, nos justos & gratos esse in Christo non in nobis ipsis. At nos contra colligimus. Nam Græcus textus ita habet: *Ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἡγαπημένῳ*, id est, *fecit nos gratiosos in dilecto, ut interpretatur Chrysostomus.* At quomodo facit gratiosos, nisi infundendo gratiam & justitiam, ut idem author exponit? Et hoc in dilecto Filio suo, id est, propter merita Christi.

XLI. Calumniatorem & mendacissimum nugatorem agit Jesuita, nunquam diximus, *homines justificatos esse spurcos & inquinatos, & quidem coram Deo, sed justos, sanctos & Deo gratos, quippe justificatos perfectissimâ, sanctissimâ Filii DEI justitiâ, in quibus nihil damnabile esse potest.* Quod autem in judicio Dei non nostram extollamus justitiam, sed potius agnoscamus nostram imbecillitatem, nostram indignitatem, peccataque, in quibus concepti ac nati sumus; id propterea facimus, quia justitia nostra elevata, & commendata in conspectu DEI, in ingratisimum foetorem exhalar, & nauseam præbet justitiæ DEI. Quandoquidem *omnes justitiæ nostræ, tanquam vestimentum inquinatum, vel, ut habet vulgata versio, quasi pannus menstruæ, Esaiæ 64. v. 6.* Quare optimus in judicio Dei defensionis modus est, suam indignitatem & peccata agnoscere, & se ipsum  
accu-



accusare; misericordiam contra & gratiam Dei extollere & magnificare. Illò usus est Abraham, David, Daniel & omnes sancti, & accepti fuerunt apud Deum, & in gratiam recepti sunt, sic etiam nos, quicquid etiam impiè ogganniar Jesuita.

XLII. Quare etiam meritò ad id adhibemus dictum Eph. 1. v. 6 *Vt laudetur gloria gratiæ suæ, quâ charos nos reddidit per illum dilectum.* Inde enim non ita crudè colligimus, nos justos & gratos esse in Christo, non in nobis: Sed jungimus, quod v. 7. sequente additur, *per quem habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum, juxta divitias gratiæ suæ.* Quibus verbis modus explicatur, quò per illum dilectum charissimi redditi, nempe per sanguinem ejus, quò parata nobis est ἀπολύτρωσις sive redemptio illa à peccatis: Quæ aliàs inter Deum & nos dividebant, ut Esaias loquitur cap. 59. v. 2. Atque etiam hanc ob causam Paulus redemptionem illam collocat in remissione peccatorum: Quam quidem docet respectu nostri gratuitam, atque ex opulenta Dei gratia profectam esse, nihilominus respectu Christi, non gratuitam, sed meritò satisfactionis acquisitam.

XLIII. Quia igitur ut redemptio, sic remissio peccatorum, gratuita respectu nostri ex hoc loco arguitur & convincitur, nempe, quod illa Christo & ejus merito in solidum sit adscribenda; sequitur, quod omnia nostra opera, justitia, sanctitas, charitas &c. nobis inhærentes excludantur: Et quod is solus, qui in solo Christo suæ salutis spem figit, non pudeat: Contrà verò confundantur omnes, qui ullâ aliâ in re extra hunc Salvatorem & ipsius Sacro-sanctam ἀπολύτρωσιν justificari & salvari cupiunt.

XLIV. Qui autem ita salvatur in Christo, non statim in se non salvatur: Sed omninò etiam in seipso. Quia enim ejusmodi credens manet in Christo, & Christus manet in ipso, Christi que Caro & sanguis, sic que ejus meritum sit spiritualis vita in ipso: Ergo omninò in se ipso, hoc est, ipse justificatur & salvatur, hoc est, ipse est subjectum hujus justificationis, illamque in se recipit. *In se ergo justificatur subjective, non in se causa-*



liter & meritorie : Nempe, quod in se & ex se habeat nullam justitiam ; sed quod aliunde participet, non tamen extra, sed intra, & sic in se.

XLV. Si autem vel maximè Græcum ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἡγαπημένῳ cum Chrysofostomo reddatur : *Fecit nos gratiosos in dilecto* : Nihil proderit causæ Becani. Aliud enim est, tantùm affirmare, aliquem aliquid, facere ; & aliud, idem affirmare, cum addito modò. Becanus enim postquam ex Apostolo posuit, quod Deus nos fecit gratiosos in dilecto, rectè quærit, quomodo verò nos fecit gratiosos ? Sed perperam responderet, *infundendo gratiam & justitiam* : Hoc enim neque Paulus, neque Chrysofostomus dicit. Et si omninò Chrysofostomus id diceret, nihil tamen nobis præjudicare posset. Quippe, cui non credimus, nisi quatenus cum scriptura loquitur & sentit : ut supra *diff. 6. th. 26. & seqq.* de Patrum omnium Authoritate protestati sumus. Jam verò in toto Novo Testamento, ubi de hoc justificationis articulo agitur, vox *gratie* nullibi infusum habitum significat ; sed semper gratuitam misericordiam tanquam justificationis nostræ causam unicam & solitariam. *Luc. 1. v. 28.* Maria dicitur *κεχαρίτωσεν* ; sed statim ab Angelo additur interpretatio : *Invenisti gratiam apud Deum.*

XLVI. Adde, quod illud, ἐν τῷ ἡγαπημένῳ etiam reddi possit *per dilectum* : Uerita remissionem peccatorum & justitiam non tantùm habeamus in ipso, ab ipso, sed etiam per ipsum, sive per ejus justitiam nobis acquisitam : Et vertit ita Erasmus : ut omnia, quæ ad actum justificationis pertinent, Deo accepta ferantur, & nihil in nobis relinquatur, vel tribuatur, quàm nuda subjecti passivi ratio, actionem hanc divinam in se recipientis. Atque hoc est, quod nostri dicunt : *Hominem peccatorem in actu justificationis se merè habere passivè.*

XLVII. Tandem quæstionem hanc concludit §. 5. Ex dictis patet discrimen inter Catholicorum & Adversariorum doctrinam. Illi docent, nos fieri justos & sanctos per inhaerentem justitiam & sanctitatem ; quò pacto Christus in se justus & Sanctus est. Nempe, ut membra sint conformia suo capiti ; ut sponsa sit formosa, cujus sponsus formosus est ;  
ut



ut fratres non sint dissimiles primogenito; & verum sit illud Apostoli,  
Rom. 8. v. 29. Prædestinavit nos conformes fieri imagini Filii sui, ut  
sit ipse primogenitus in multis fratribus. Adversarii contra sentiunt,  
nos manere immundos, & inquinatos in nobis ipsis, & solum censerī justos  
extra nos in Christo. Unde sequitur, ex Christo & fidelibus constari mira-  
bile monstrum: Caput esse formosissimum; reliqua membra foedissima,  
sponsū pulcherrimum; sponsam inquinatissimam.

XLIX. In quo consistat discrimen sententiæ nostræ de  
justificatione & Pontificiorum, id quidem est satis clarum &  
manifestum. Quod autem concedit Jeluīta, ad constitutionem  
membri Christi requiri per omnia parem rationem, id falsissi-  
mum est, nisi forsan ex membris Christi æque mediatores, sal-  
vatores & redemptores facere velit.

XLIX. Deinde formosa debet esse sponsa Christi, ut spon-  
sus formosus est. Non negamus: imò formosiorē nos eam  
asserimus, quā Pontificii, nempe ornata pretiosissimō or-  
natu, sanguine Christi, & veste mundissima & purissima, nem-  
pe justitiā Christi acquisitā; quippe, quæ omnium perfectissi-  
ma: Imperfecta autem inherens nostra qualitas, virtus & ju-  
stitia; in qua debitam & sponso placentem pulchritudinem  
habere nequit.

L. Dictum Pauli Rom. 8. v. 29. Becanī causam nihil quic-  
quam juvat. Docet enim finem, ad quem præfiniti sint electi,  
nempe, ut conformes fiant imagini Filii ipsius.

LI. Ubī initio observetur, non dici à Paulo simpliciter, ut  
conformes fiant Christo, sed imagini Christi, ut doceatur, vivum &  
conspicuum extare exemplar in Christo, quod omnibus DEI  
Filiis ad imitationem proponitur, ut ipsius imagini fiant con-  
formes, non verò; (quippe quod fieri nequit) ipsi æquales. Sum-  
ma ergo est, genuinam adoptionem, in qua salus nostra confi-  
sit, ab hoc decreto inseparabilem esse, quod nos ferendæ cruci  
addixit, ut fiamus in societate afflictionū ac crucis ipsi confor-  
mes, sicq; cum ipso per omnis generis calamitates & afflictiones  
ingrediamur in gloriā. Quo etiā & quidē multo magis venturæ  
gloriæ



gloriae & hereditatis caelestis ratione ipsius imagini conformes  
sumus; eò tamen ordine, ut ipse Christus sit maneatq; primogē-  
nitus inter multos fratres, qui in omnibus primas teneat.

LII. Nam primogenitus dicitur Christus aliàs, quia est u-  
nigenitus, *Ioh. 1. v. 14.* Aliàs ratione resurrectionis *Coloss. 1. v. 15.*  
*Apocal. 1. v. 5.* Aliàs, quia pro omnibus aliis est afflictus & etiam  
glorificatus, ut hoc ipso in loco, metaphorà sumptà à primo-  
genitis, qui olim præcipuum tum onus, tum honorem sustine-  
bant, & aliis fratribus velut exemplaria quædam vitæ & morū  
ac totius regiminis, quos ipsi sequerentur, proponebantur.  
Hinc etiam metaphora primogeniti hæc quoq; crucis præroga-  
tiva significatur, Ut tota summa hujus Paulinæ sententiæ sit,  
oportere nos quoque eum per crucem in gloriam sequi; ut ipse  
ubique sit noster dux & exemplar nobis propositum. Quæ  
cum ita sint, quilibet intelligit, hoc dictò nihil quicquam agi  
de justificatione: Sed duntaxat de cruce & calamitatibus  
piorum in hac vita, & deinde de gloria & hereditate caelesti  
in altera æterna vita. Quare ineptissimè dictum hoc ab ad-  
versario allegatur.

LIII. Porro statuimus quidem, peccatum in justificatio-  
ne non penitus tolli, sed manere quoad radicem & actum:  
Tollitur tamen quoad reatum & dominium, & deinde quia  
justificati sunt templa Spiritus Sancti, qui illos sanctificat, ju-  
vatque, ut veterem hominem indies magis magisque mortifi-  
cent, donec tandem in plenaria illa *παλιγγενεσία* resurrectio-  
nis justorum peccatum totum funditus subvertatur & tolla-  
tur. Hæc quia ita sese revera habent in justificatis, residua  
infirmetas & imbecillitas justitiâ Christi tegitur, ut in conspe-  
ctu Dei sint mundi & justī, cum justitia & lex divina nihil in  
nobis inveniat, quod damnari possit: Ideoque ut justificati,  
& quatenus ac quamdiu in vera fide perseverant, & in Chri-  
sto manent, nequaquam immundi, sed mundi in conspectu  
Dei censentur: Qui verò ibi mundus reputatur, illi perversum  
hoc iudicium Jesuiticum, in naturalibus imbecillitati-  
bus fundatum, nocere nequit.

54. Unde



LIV. Unde nulla porrò sequitur monstrositas in corpore Christi : Quemadmodum non est monstrum homo , licet sal-  
vò capite , in pede vulneratus sit ; quem sanè caput propter vul-  
nus & morbum non odit , sed potius , quia membrum est sui  
corporis , curat , & eò laborat summâ diligentia , ut vulnus  
consolidetur : Si verò id fieri nequeat , non propterea deserit ,  
sed , ne vulnus ingravescat , vel incrementum accipiat , provi-  
det . Sic etiam res se habet cum justificatis , licet malum illud  
hæreditarium , peccatum originis , in hac vita tolli totum non  
possit , non tamen propterea odiò prosequitur Christus justifi-  
catum , sed potius , quia membrum sui corporis est , illud o-  
leò Spiritus Sancti curat , qui malitiam morbi illius impediat ,  
ne ingravescat , donec tandem , ut diximus , totali regenera-  
tione resurrectionis mortuorum in universum tollatur .

L V. Sanè , si hoc monstruosum faceret Christi corpus ,  
cujus ipse caput est , pugnaretque contra ipsius pulchritudi-  
nem , quod membra in hac vita non sint in se perfectè pul-  
cra , & absolutè justa : Ergo multò magis contra ipsius pul-  
critudinem & perfectionem pugnâssent , illamque monstruosam  
reddidisset , quod ipse pulcerrimus inter filios hominum ,  
*Psalm. 43. vers. 3.* Genus hominum , sordibus innumeris adhuc  
inquinatissimum , odiò adversus Deum turpissimò flagrantis-  
simum , sanctissimo numini in omnibus adversum , contra-  
rium , & inimicum , dilexerit , pro illo se dederit , sangui-  
nem effuderit , cruci , imò ipsi morti ignominiosissimæ subje-  
cerit ; sufficiens λύτρον persolverit , sicque illud liberaverit  
ac mundaverit . Hoc prius Jesuitico iudicio inconveniens &  
monstruosum factum objiciat Christo ipsi , & tum aliquid  
monstri nostræ veræ & orthodoxæ sententiæ de justificatio-  
ne affingat .

LVI. Tandem membra Christi , ( hoc est , justificados )  
*esse fœdissima* , rursus negamus . Hæret quidem adhuc radix  
peccati in illis , quò dici queant morbida , nequaquam verò  
fœdissima , sed ejusmodi , quæ à Christo intimè amantur , im-  
pen-



penſiſſimè curantur ad vitam æternam, in qua ſummam acce-  
ptura ſunt perfectionem, ſuſtentantur.

LVII. Neque ſponſa Chriſti inquinatiſſima eſt, ſed pulcra eſt  
ac formoſa in conſpectu ſponſi ſui, ornata nimirum veſte  
coccineâ, pretioſiſſimò ipſius ſponſi ſanguine tinctâ, præ-  
ſtantiore longè byſſo & purpurâ, imò omnibus margaritis &  
pretioſiſſimis gemmis, aurò etiâ omni & argentò: & licet imbe-  
cillitatibus ac infirmitatibus peccati originis adhuc infecta  
ſit, amor tamen ille ſummus, quò ipſam, (utpote dulciſſimam  
ſuam ſponſam, magnò preciò, imò morte ſuâ emptam & ac-  
quiſitam,) complectitur ſponſus Chriſtus, efficit, ut in illis  
conniveat, omnesque defectus juſtitie ſuæ pallio tegat,  
& ipſa in conſpectu & oculis ipſius tota pul-  
cra ſit & compareat.

**F I N I S.**



Coll. chin. A. 198, 1